Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35485

Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

dat aquam et manus proferat verba ipse potest vere dicere nos baptizamus te. Hoc autem nichil valet quia ad hoc quod aliquis proprie dicatur perficere opus debet de duobus ex quo ambo faciant actum eiusdem rationis quia si facerent actus diversarum rationum una persona non potest intitulari de opere ut si unus raperet pergamenum de quo est factus liber et alius scripsisset librum ista persona non scripsisset unus librum nullo modo potest intitulari de eis. Quare cum infundere aquam et proferre verba sunt actus diversarum rationum solo nullo potest intitulari de eis nos baptizamus etc. [Capitulum quintum De suscipientibus baptismum]

CAP. V. De suscipientibus baptismum

Recipere baptismum debent corpore tam viri quam mulieres. Et nullus sine baptismo vel in voto nunquam potest salvari ut dictum est supra. Sed aliter est de adultis et aliter de parvulis quia in adultis qui recipit baptismum requiritur intentio propria suscipiendi illud quod confert ecclesia. In parvulis autem sufficit fides et intentio eorum qui conferunt vel eum offerunt ad baptismum. Sed nunquid potest quis existens in ventre matris baptizari scilicet si pars una videatur [illegible] et sit infans in periculo mortis nunquid tunc [illegible] puer baptizare? Dicendum est quod non et ratio assignatur a doctoribus talis quia ille qui recipit baptismum debet subici manibus ministrorum ecclesie et aspergi aqua vel immergi in aquam. Sed ista non possunt fieri circa puerum existentem in ventre matris. Ergo in ventre

An puer possit baptisari in ventre matris

periculo

matris non debet baptizari. Sed pone quod aliqua pars extra illam appareat nunquid talis infans sit in tanto periculo ita quod non possit expectari quod totaliter nascatur potest baptizari. Dicendum est quod ista pars que apparet extra aut est caput aut alia pars corporis. Si est caput tunc debet aspergi aqua dicendo: Ego baptizo te in nomine patris et filii et spiritus sancti amen. Et est vere baptizatus. Et si nascatur postea non debet amplius baptizari. Et ratio est quia caput est principalior pars corporis et in eo vigent omnes sensus corporis. Si autem illa pars que apparet extra est alia pars quam caput sicut manus vel pes tunc dicunt aliqui doctores quod illa pars debet aspergi aqua et baptizari et vere est baptizatus et si nascatur postea quod non debet amplius baptizari. Et ratio quia baptismus fit propter animam et non propter corpus. Anima autem quantum ad essentiam suam est tota in qualibet parte corporis et ideo quacumque parte corporis baptizata totum corpus est baptizatum. Alii autem dicunt quod talis pars apparens extra debet aspergi aqua et baptizari. Sed si puer nascatur postea debet baptizari sub ista forma: Si tu es baptizatus ego te non baptizo, si non es baptizatus ego te baptizo in nomine patris et filii et spiritus sancti amen. Quis autem istorum modorum verior et melior sit nescio tamen credo quod secundus videtur securior. Sed nunquid filii Iudeorum sunt baptizandi invitis parentibus? Hic dicunt aliqui doctores sic

Si filii iudeorum sunt baptisandi invitis parentibus